

EXERCISES
IN
LATIN SIGHT TRANSLATION.

I.

Gaul and its peoples (Caes., Bell. Gall., I., 1).

GALLIA est omnis divisa in partes tres, quarum unam incolunt Belgae, aliam Aquitani, tertiam, qui ipsorum lingua Celtae, nostra Galli, appellantur. Hi omnes lingua, institutis, legibus inter se differunt. Gallos ab Aquitanis Garumna flumen, a Belgis Matrona¹ et Sequana² dividit. Horum omnium fortissimi sunt Belgae, propterea quod a cultu³ atque humanitate⁴ provinciae longissime absunt, minimeque ad eos mercatores saepe⁵ comitantur,⁶ atque ea, quae ad effeminandos animos pertinent, important, proximique sunt Germanis, qui trans Rhenum incolunt, quibuscum continenter bellum gerunt. Qua de causa Helvetii quoque reliquos Gallos virtute praecedunt, quod fere cotidianis⁷ proeliis cum Germanis contendunt, cum aut suis finibus eos⁸ prohibent, aut ipsi in eorum finibus bellum gerunt.

¹inhabit. ²the Marne. ³the Seine. ⁴mode of life. ⁵civillization. ⁶minime saepe=very seldom. ⁷go, resort. ⁸daily. ⁹the Germans.

II.

Orgetorix persuades the Helvetii to leave their homes (Caes., Bell. Gall., I., 2).

Apud Helvetios longe nobilissimus et ditissimus fuit Orgetorix. Is, Marco Messala et Marco Pisone consulibus, regni cupiditate inductus, coniurationem¹ nobilitatis facit et civitati persuasit, ut de finibus suis cum omnibus copiis exirent: (dixit) perfacile esse, cum virtute omnibus praestarent, totius Galliae imperio potiri. Id hoc facilius eis persuasit quod undique loci naturam Helvetii continentur²: una ex³ parte flumine Rheno, latissimo atque altissimo, qui agrum Helvetium a Germanis dividit: altera ex parte monte Iura altissimo, qui est inter Sequanos et Helvetios; tertia, lacu Lemanno et flumine Rhodano, qui Provinciam nostram ab Helvetiis dividit.

¹conspiracy. ²are confined by the character of their country. ³on.